QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iovis, 2. Aprilis,

M. CAROLO GVILLEMEAV, DOCTORE MEDICO, Præside.

Est-ne Hippocratea Medendi Methodus omnium certissima, tutissima, præstantissima?



MEDICINA Dei munus, Dei manus, quæ in homine plus invenit, quàm is in se ipso cognoscit, artium omnium nobilissima, ad humanæ imbecillitatis opem auxiliumque divinitus & condita & edita; sapientiæ soror & contubernalis, illa ab antiquo existens, paucarum olim herbarum scientia: Est adjectio deficientium, & detractio superfluentium, singulare φιλανθρώπε θεε in hominum gentem beneficium; ejus finis est sanitas, quæ omnium actionum integritate concluditur; officium est, citò, tutò & jucundè curare, quod legitimè minimâque morâ perficit, cùm paucis (Græcorum more) sed iudicio delectis, & vsu probatis remediis vtitur, non acribus, non malignis, non deurentibus, non venenatis, non occultis, sed temperatis, morbo valentioribus, morbi causam stirpitus evellentibus, nullâ symptomatis cujuslibet habitâ ratione. Desperatos & insanabiles non attingit, nec semper movet, sed interdum quiescendo plus proficit, quàm movendo. Neque solùm ægris confert, sed etiam sanis, illos restituit, hos constituit. Medicus σὺν θεε παλάμῃ solus est autor curationis, si occasionem nactus erit, eâque inventâ feliciter vtatur: eò ducunt sapientia & eruditio, non cæcum illud insanientis & deliræ mortalitatis numen

fortuna fors, (nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur). Omne fortuitum excludit, nihilque admiratur bene compoſita mens, totum curationis opus prudenter, & ex arte dirigit. Philoſophia illa Thaumantis ſoboles, res ſumma, ad paucos pertinet: Eloquentia res admirabilis, non pluribus prodeſt, quàm nocet; ſola eſt Medicina, quâ opus ſit omnibus. Medicus, vnius Reginæ mortalium Naturæ adminiſter, ſibi ſubſervientibus miniſtris præeſt, Chirurgis antiquiſſimis & nobiliſſimis artificibus, quibus manum regit ſapientia, fortunat peritia, adjuvat ſolertia; Clinicis, Balneatoribus, Rhizotomis, Pharmacopœis, quorum operâ genus hominum feliciùs quàm faciliùs careat. Sola artium Medicina ipſis imperatoribus imperat, quippe cui à ſummo imperio nomen, Μέδοντες Reges ſunt, vnde medentes. Horum ille optimus, qui perpaucis, ijſque ſimpliciſſimis & paratu facillimis remediis partes ſuas agit, qui tamen pluribus ſaluti eſt, quàm nobiles iſti Ardeliones cum ſua polypharmacia, quam Hygeia abdicat, inſcitia ceu filiolam exoſculatur: præſtantior, qui minùs peccat (cùm homicidii crimen ſit in hominis ſalute peccare). Non ille perſonis tragicis ſimillimus, non ſomniorum interpres, aut vanus conjector, non de circo Aſtrologus, non Alchymiſta cinerarius, non qui multitudinis imperitæ, ad nova omnia pruriginis avidæ, famam ambitioſè aucupatur, non agyrta fumivendulus, non crumenarum avarus emunctor planus, non inſcitus & imperitus periclitator Empiricus, non qui videri malit, quàm eſſe; ſed vir probus medendi peritus, qui in Hippocrate alter Galenus, in Galeno Aretæus, non Arabs barbaruſve: qui veterum ſcripta evolvit, qui à cognitione cauſæ non aberrat, qui circa θεῖον in morbis non fallitur, qui criticorum dierum ingenium in numerato habet, nec per eos ſemper feriandum Diatritario aut Iudæo more putat, qui morbum à morbo diſtinguit, qui multarum rerum peritus, ſolertis ingenii acie morborum eventus prænoſcit, qui Philoſophus, non Aretalogus, Dogmaticus, non Empiricus, Chirurgus, non Veſpillo. Certè quiſquis ille fuerit, non modò πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ſed ἰσόθεος φὼς habendus eſt, aut ſaltem vno minor Iove.

TALES eximio ſupremi Numinis dono extitere Hippocrates & Galenus: ille ἀστὴρ καὶ φῶς ἰατρικῆς, tam falli, tam fallere neſcius, quàm propemodum ipſe Sol, quem quis dicere falſum audeat? Rationalis Medicinæ Princeps, perennis profectò, ſi primus Homerus eſt ingeniorum fons: Philoſophus ante natam, certè ante notam philoſophiam, ſemper laudatus, ſatis nunquam. Bene me-

dendi dux certissimus, omnium & Philosophorum & Medicorum maximus, diligentissimus, peritissimus, nobilissimus artifex, omnium nobis artium & disciplinarum autor, inventor, perfector. Curandi medicandique magister optimus, quem mirantur omnes, sequuntur pauci, quinam assequuntur? Vir planè divinus, qui humanitatis studio, non regiæ pecuniæ vi, non inanis gloriæ magnitudine impulsus, sine fuco & fallacia medebatur. Rectæ viæ monstrator, quam invenerat, Methodi certissimæ Dux, quam instituerat, qui princeps Naturæ opus, opem & operam perspexit. Homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecit vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat. Cuius rationis de rerum natura interpres diligens Aristoteles fuit, cuius præcepta Plato pro amussi habuit. Amissæ Anatomes, quæ in officio medendi velut in ancipiti labyrinthi texto filum est, instaurator; indicationis à morbo inventor primus, qui brevi multa, bene omnia docuit, obscurus quia brevis, imò brevior quàm obscurior. Cujus oracula tanquam vox Pythii, cujus scita Delia oracula sunt, qui si qua, pauca certè prætermisit, quia pleraque invenit; qui si quid inchoatè, nihil perperam scripsit; cujus tam effusa benignitas fuit, nihil vt scripserit, scierit nihil, quod nescire nos voluerit: Tantâ homo solertiâ & sapientiâ, vt quod ipse ignoraverit, scire se frustra quisquam glorietur. Hippocrati alter propè ipse, Galenus, successit: is optimam illam quam orbi ediderat Hippocrates, hominum incuria desierat, ac temporum obruerat injuria, Medicinam in vsum retulit, mortalibus restituit, indidem Asia Græcus, Medicus optimus, Medicorum à primo primus, à quo longè est, qui tertius est, Philosophus, Medicus ἔξοχος ἀγῶν, cujus cùm ita multa desideres, plurima tamen habes, & scientissima præstantis ingenii monumenta, sinceræ germanæque doctrinæ ἀπαυγάσματα; fuit enim, quod nemo doctus negarit, ἀνὴρ φιλοσοφώτατος, Oceanus quidam disciplinarum omnium, artium bonarum promus, cuius ex vberi ac limpido fonte doctrinæ, delectus Medicorum hausit, quod medicum habuit; cui potissimùm debemus, quod Rationalem, Dogmaticam, veram legitimamque medendi methodum, singulare Dei munus atque donum, quasi Promethei cuiusdam laudatissimum ignem, vitæ hominum intulit (is enim in Naturæ obscuritate, adeoque in altissimo illo Hippocratis puteo delituerat) intermissus ideo & propè neglectus, quia nec intellectus. Docuit ille arcanæ intelligentiæ Mystes Contraria Contrariis curari, Similia Similibus conservari, ac re quidem & veritate docuit. Requirit ille in Medico, quod in se possedit consummatissimus artifex, vt sit philologiæ, totiúsque philoso-

phiæ, illius in primis, quæ Naturæ fcrutatrix indéxque eft, peritus; principia, elementa, temperamenta, vfum partium, animæ facultates, & ἐνεργείας, morborum caufas & figna cognofcat, res non naturales quàm pote eft, intelligat, indicationum naturam, remediorum cùm fimplicium, tum compofitorum vires, vfum, modumque in explorato habeat: cæco enim illo Andabatarum more cum hofte Naturæ pugnat, quicumque iftorum alicujus ignarus Medicinam facere aufu improbo tentat. Ac θεῖος quidem ille γέρων Hippocrates medendi artem, five τέχνην mavis, defcripfit primus, & falutaribus præceptis adornavit: his viâ & ratione digeftis, principem fcientiam illuftravit, abfolvit, fed tam arduâ idipfum gravitate, tam reconditâ brevitate, vt intimum, & primæ admiffionis interpretem, aliquot fecula defiderarit. Is fuit fummo iure Tranquillus, five Galenum nominas, hoc enim Galenus eft, qui nifi myfticis illis Hippocratis tenebris clariffimi ingenii fui facem prætuliffet, antiquiffimo illo & incomparabili bono careret humana gens: indicationum rationem adiunxit, cuius apertiorem indicinam Hippocratea Medicina adpofcebat. Ergo vt Cęfar Auguftus, vt Trajanus optimus, dum templa, opera, monumenta publica inftaurant, reficiunt, exornant, non minùs gloriæ merentur, quàm finguli autores conditorefve, ita Galenus, qui Hippocratis explanatione, Medicinam illâ fagaci adiectione τῶν ἐνδείξεων locupletavit, opus fparfum incompofitumque, quafi Virbium Æfculapius revocavit in lucem, dignus eft quem pofteritas melior, veluti fecundarium Hippocratem, Apollinis Afclepium, Herculis Thefeum agnofcat, veneretur, complectatur, obfervet.

NEC verò optima illa Medicina diuturna fuit, fic fatum eft, fummifque negatum ftare diu. Caufæ interiores Hippocratea βραχυλογία, fibi quidem illa pervia, paucis obvia, plerifque inuia: Rei ipfius difficultas quæ vt folertem induftriam ad facram Cryptam admittit, ita fegnem ofcitantiam repudiat: humani generis vitium eft, proclivia negligere, difficilibus abfterreri. Ita ex Afclepiadarum gente, quafi è patrio folo germana Medicina exulavit, à certa & ftabili fede in diverticula quædam duo abijt, (Rationalium quippe regia via eft) Methodicorum, qui præter viam, proterviam faciunt: Empiricorum qui pede vno nituntur, quid mirum fi claudi & debiles agyrtæ ftipem corrogant? ea lex eft rerum omnium optimarum, peffimæ vt fint, quæ illis maximè adverfæ, & vitium directæ viæ non eft, fed erroris, qui, ab ea quò longiùs diverterit, periculofior fit. Vnde autem illa peftis, atque labes? à fœda & barbara infcitia, cui parens atque altrix inertia eft: ei obfequuti contumaces Metho-

dici, ſtupidi Empirici, à caſtiſſima Penelope in viles ancillas lapſi ſunt. Atque vt in confinio & fundo ſalutaris Panaceæ, interdum miſeros fallunt aconita legentes, ita in Hygeiæ ſacro & ſalubri luco ſubnaſcuntur malignæ vires & noxiæ, quæ ſub eius etiam vmbra & nomine ſubjiciunt ſeſe, & tantiſper, dum adoleverint, deliteſcunt. Empirica illa ſcilicet, cui nec Serapio nec Philinus repertores, ipſa ſponte enata eſt, & quo exorta eſt die, Aloïdarum inſtar excrevit ad inſanam molem, & inſolentem ſibi fiduciam arripuit, artium bonarum ſcientiam à ſe abdicavit, vnam aſcivit, quæ etiamnunc dominatur, impudentiam: eâ ſe omnium vetuſtiſſimam gloriatur, experientia vtique, cuius tu (ô dicàcula) abortus es, manca, mutila, imbecillis, ad illam hominum ſeruatricem Rationalem: Atque ab ἐμπειρίᾳ profectò, id eſt ab attenta atque obſervata conſideratione, artes omnes prodierunt, ipſaque adeo & artium & artificum Medicina cuſtos: Repertis enim caſu & vſu remediis, in eorum cauſas inquiri cœptum eſt à ſtudioſis ſapientiæ, illas eruit ex abdito & in vſum λόγος protulit: & ex ratiocinatrice Rationalis Medicina extitit. Præivit igitur rationi experientia, vt certo duci, ſi quis errat in devio, quæritque qui ſibi viam monſtret, ſitne directa quam inſiſtit, & tenenda vſquedum ad arcem ſalutaris Hygeiæ perveniatur? an, & vbi flectendum, an rectà pergendum quâ cœpit? Sic Empirica incerta ſui, in certiſſimam rationem incidit, cuius ſi ductum non deſerit, ſi regi ſe patitur, evadit è perplexa illa, & ancipiti variarum ambage viarum: Eſto igitur fortuita quædam inventrix medendi, Experientia, huius emendatrix Ratio & perfectrix, quæ veriùs τηρητικὴ, & μνημονευτικὴ, obſervatrix & memoratrix dicatur, quàm improvida cæcaque experientia cum ſua ſymptomatum συνδρομῇ, quæ ſine rationis auſpiciis perinde eſt, atque aperti in tenebris oculi, qui quantũvis contendant, vident nihil; lux ſi aliunde affulſerit, intuentur. Vno quidem illo concurſu veluti ſcipione nitebantur Empirici; vtque his ille pro duce, ſicuti trecentis Pariſienſibus baculus pro oculo, pro luce eſt, ſic iſta concurſione, in morbi notitiã, curationem ac præſagium, certò deduci ſe animum induxerant, morbum & morbi cauſas ſúſque déque habebant; nec enim intereſt, aiebant, quid morbum faciat, ſed quid tollat. Hinc triplex illis ordo Medicinæ diſcendæ, αὐτοψία, hiſtoria, & tranſitus de ſimili ad ſimile, ſed caſui cum conſilio nihil rei eſt, & conſultum non eſt, quod intutum; tuti enim quid eſſe queat, in illa ſingularum varietate naturarum? in infinito illo τῆς ἰδιοσυγκρασίας & immenſo? quo teneas vultus mutantem Protea nodo? quid illa ſomniorum ludibria? Eædem ſunt cauſæ Hiſtoriæ Imitationive, vt incerta ſit, quæ decempeda cubitum, cubito decempedam ſæpe metiatur. Morbi nimirum aliæ atque aliæ cauſæ ſunt, varia natura

ſubiectorum, varia conſtitutionum; iſte demum tranſitus tam eſt à ſimili ad ſimile ſæpe, quàm ab albo ad atrum, ab atro ad album. Fit in partibus? infidus eſt: in morbis? fallax eſt: in remediis? internecinus eſt: In tam dubios & mobiles ſcopos, qui per illam συνδρομὴν ſymptomatum tendebant, nihilo certius feriebant, quàm qui paſſim ſequitur corvos teſtâque lutoque: & illa concurſio, itidem vt in acie, militum plerumque funeſta & exitialis eſt; dum incautos fallit, nimiùm credulis, parum ſedulis, minùs doctis illudit. Quis autem ſapiens vnâ obſervatione confidat, nec eam exigat ad normam rationis? Quin egregij periclitatores, Anatomes ſcientiam, hoc eſt Ariadnæ filum, in illo inexplicabili, irremeabili Medicinæ labyrintho aſpernabantur, quid mirum, cùm & rationi ipſi, quâ homines, quâ Medici ſumus, obnuntiarent, mirum, ni ſibi etiam oculos eruebant vt acutiùs cernerent, certè facem in denſiſſimis tenebris extinguebant, vt perſpicaciores eſſent. Sua ergo pericula ſibi habeant periculoſi artifices. Quid Methodica? quo tandem autore gloriatur? erubeſcat potiùs Themiſone Syrâ fraude, autumno perniciali, Romanâ peſte. Is malâ nouandi prurigine, Methodicæ item vt araneoli tenuem orſum formavit; omnibus is Empiricis ſuperbior, præfractior, audacior, nam vel ipſo nomine quàm arrogans? in reprehendendo Hippocrate quàm impudens? quàm denique audax in ſemeſtri profeſſione perdiſcendæ Medicinæ? cui longæ arti vel longiſſima vita brevis eſt. Itaque morbi cauſam, locum affectum, ægri vires, & quibus hæc ſacra conſtant, cætera negligebat, nactus ſcilicet Medicinæ compendium, hominum diſpendium: hoc profiteri indoctiſſimus nebulo Theſſalus, qui tam eiurati pudoris fuit, vt à lana, & pectine, & textrina (quod vtinam ſolus eſſet auſus) Medicus repente, hoc eſt corvus poëta prodierit: vt non immeritò Thraſonem iſtum acerrimus Galenus ſcuticâ, imò & flagello ſectetur, interdum & nominis ſui, dum ferreum illius os cædit, tunditque, obliviſcatur. Adſtringunt illi & laxant, aut neſcio quid mixtum ex vtroque comminiſcuntur: miſerum interea qui ſe carpendum illis carminandumque tradidiſſet, triduanâ ſuâ, plerumque ſempiternâ inediâ macerabant, Diatritariæ peſtes, patres Eſuritionum, qui experientiam omnem ablegarent, abdita non cognoſcerent, citharâ videlicet canerent ſine fidibus. Rationis enim opem poſcit experientia, nec ſe vnquam ſatis, ſi deſit illa dux, confidit: experientiam ratio percontatur, eique fidem facit, ſuam etiam accommodat, ita inter ſe amicè conſpirant, manum adiuuat manus, & pedem pes conſequitur: alterum ab altero diſtrahere, ſine vtriuſque incommodo non poſſis: regat igitur Experientiam Ratio, hanc vt Dianam ſua Opis comitetur. Erit ille Medicus, qui

τόποις πεπονθότας, ἡλικίαν, ἀέρα, χώρας, ὥρας, dignoſcet, qui erit in Hippocrate Galenus, in omni morbo Hippocrates.

PER Herculeos Galeni labores & divinam eius Methodum, repreſsâ & ſedatâ vtrâque illâ ſanctioris Medicinæ peſte, Hippocratea Hygiantice, an Hygeia? vitam recepit, orbem terrarum clariſſimâ luce perfudit, valuitque, quandiu eruditio & diſciplina excultior, dum illam certatim inde à Galeno integella Græcia, & ævi melioris felices illæ reliquiæ, Aretæi, Oribaſii, Aetii, Pauli, Alexandri, cæteri propugnant, tuentur, illuſtrant. Ita quamdiu lampadem illam à decurſu inter ſe tradunt, nec deeſt qui excipiat, viguit præſtantium ingeniorum autoritate, valuit ſuffragio & commendatione ſalubritatis ſuæ. Deterior donec paulatim, & decolor ætas, ab auri pretio, non in argenti candorem, aut æris ſplendorem, ſed planè in ferri ſquallorem & rubiginem degeneravit. Invaſit enim infeliciſſima ſecula horrenda illa barbaries & fœda inſcitia, tenebræ pluſquam Cimmeriæ, offusâ oppreſsâque luce veritatis, abjunctis ablegatiſque ab eius comitatu optimis artibus, quarum illa choro ſepta, & ornatior eſt, & tutior. Illa ſcilicet in nocte doctrinarum, quâ nihil eſt graſſatoribus opportunius, Ignotum vobis, Arabes, veniſtis in orbem. Quid enim vobis cum Græco nitore, quem contaminaſtis? cum penitiore philoſophia, quam perturbaſtis? cum puriore Medicina, quam infeciſtis, φαρμακεῖς & φαρμακευταὶ; trivenefici, trifures? etiamne in Medicinæ nomen, quæ tam longè à vobis abhorret, invadere? quippe hæc, viâ & ratione ad opus ſuum aggreditur, idque perficit ſimplicibus, paucis, at ſelectis, at probatis remediis. Πολυφαρμακίαν iſtorum caſta & abſtinens reformidat. Quò enim illa pertinet ſexcentorum farrago venenorum, niſi vt mortes impensè veneant? Nec via mortis erit ſimplex, compoſitæ omnes, vt peſtem quoque aliâ peſte arment. Apud iſtos venalis mors eſt, nec emptor deeſt, ibi palam venum venenum eſt, quod impune dat qui vendit, non impune accipit qui magno emit. Quàm enim cautè religioséque Natura rerum ad hominum ſalutem Medicinâ vtitur, tam eâ impudenter iſta ad quæſtum ſuum abutitur ſeplaſiaria, corruptrix, blanditrix, perlecebra, offuciarum nundinatrix, cujus quàm mala merx eſt, tam eſt arrogans profeſſio, cenſus inanium nominum ac pręſidiorum, vt ſæpe in albo militum, qui non pugnant, qui nuſquam ſunt: necenim minor iſtorum in venenis commiſcendis, quàm in venenorum nominibus componendis audacia. Phlegmagoga, Cholagoga, Cephalica, bechica, cardiaca, bezoardica, lithontriptica, ſpecifica, & conſimilis impudentiæ nomenclatura; quam ſi Græcorum doctiſſimi politiſ-

ſimique habent dimenſam in luculentis commentariis ſuis & deſcriptam, vſu eam vtique compererunt, ratione comprobarunt, non vt venenariæ iſtæ peſtes, exitiorum propolæ, cęcâ & præcipiti cupiditate lucri proſtituerunt. Quinetiam ad metalla damnare auſi ſunt inſontem ac innoxiam virginem Medicinam, in ſubterraneos ſpecus detruſerunt, vt metallicam faceret, vt erueret ex abditiſſimis latebris, quod irrepertum, meliùs ſitum eſt, & latet vtiliùs quàm patet. Homini profectò gignitur, quidquid vbicumque oritur, attributum ei à ſummo patre-familias, qui cùm hominem ſibi, tum hominis gratiâ omnia effecit, eique vbi naſci eum voluit, beatam appoſuit materiam omnium commodorum, quam ſagaci curâ & ſolerte induſtriâ elaboraret. Ab illa parta copia omnium vtilitatum, à vicino & domeſtico vſu rerum neceſſariarum, pleroſque avocavit & abduxit aliena cupiditas & ſua, ad exotica ignotáque auxilia tranſverſos egit. Ergo pretioſa pericula, quo non terræ mariſque tractu conſectantur? advehitur illis ex vltimis terris, vnde domi ſuæ intereant, totoque exquiritur orbe, quo gens quæque perit. Dynaſtam ſcilicet natum eſſe oporteat, vt æger convaleſcat; At non potentiæ, non fortunæ, non inſanis opibus Medicina, ſed humanitati ſeruit, idque ſtudet vel maximè vt operoſa ſumptuoſave ne ſit, vt frugi, vt prę-parca ſit, vt partis paratiſque, certè εὐπορίστοις perſanet: Lazulus lapis ſi defuerit, ſi eius ramenta & ſcobs non tanti ementur quanti pretioſus erro indicarit (cui cum mirifico Veſpillone pulchrè convenit, de compacto rem gerunt) niſi aut maris aut belluæ vomitum ambram, concharum recrementa margaritas, cęteraſque corruptelas, aut de ceruino corde oſſiculum, vel autorato te redemeris, ilicet, actum eſt, libitinam, exequias. Atque ab iis quidem tuta eſt inopis plebeculæ tenuitas (vtinam & à cæteris iſtorum maleficiis eſſet) prædivitum opulentorumque ſtolidam credulitatem edendam inter ſe bibendamque propinant, ſummos, medios, infimos, promittendi fallendique magnificis pręſtigiis ludificantur. Illo igitur ex inſcitiæ barathro erupit ebullijtque immenſa vis πιμάκων, non φαρμάκων, hoc fonte derivata clades in patriam populúmque fluxit: vix vt in turba iſta atque ſtrage exaudiri poſſit illa ſalubritatis effectrix, ſalutis cuſtos Hippocratea diſciplina, paucorum hominum, paucorum ſcientia remediorum. Sed Arabes vtcumque prędones, piratæque terreſtres, quos fanatica libido, vt illa bellorum ſeruilium portenta impulerat. At ſectores zonarios quis ferat inſultare honeſtiſſimæ artium, in eius imperio petulantiſſimè perbacchari, furere, ferire, iugulare? Hi ſunt coniurati homicidæ, generis humani perduelles, qui ſe Graio nomine, ſed ementito venditant, cùm ſe Chymicos, quamuis omnis boni ſucci expertes,

expertes, appellant : aut Arabum linguâ, quorum fœtura & concretio ſunt, Alchymiſtas, ignorantiæ myſtas : aut inſolenti barbarie vocis, barbari quippe quanti quanti iſti ſunt, ſpagyricos, an magiricos? quibus pro theſauro carbones, pro ratione fornacula, pro vſu fauilla, pro methodo impudentia eſt. Vſtrix, incendiaria, buſtuaria, iugulatrix, cui nec repertor, nec autor alius, quàm Herculis Hippocratis, Abigeus Cacus Paracelſus. Huic monſtro Vulcanus erat pater, illius atros ore vomens ignes magnâ ſe mole ferebat, mater confidentia, nutrix impudentia, comes temulentia, duces tenebræ, popina domus, ganeum ſedes, gurguſtium ſchola, viaticum mendicitas : vt poſtremus tenebrio Paracelſus, qui nihil minùs quàm medicus, plus vnâ tamen litterâ fuerit quàm medicus, magus, tortor, extortor, hoſtis quidam publicus & carnifex, Latini iuxtà & Græci ſermonis, hoc eſt eruditionis omnis vſque eò inſolens, vt ſomniis ac portentis ſuis divendendis opus haberet interprete, qui coniectoris & arioli vinolenta deliria Latinè diriberet : Is renaſcentem paulò antè cum humanioribus doctrinis, ac iam iamque rediviuam veterem germanamque medicinam per cuniculos lucifuga, & palam, ferro & face ſicarius aggreſſus eſt : Hermeticam falſi nominis aniatricen profiteri cœpit. Hippocrateam ſapientiam ciniflo viliſſimus difflare, explodere, vt in carbone ac cinere venditor fumorum regnaret, noui commenti ſui nova συστατικὰ ſcilicet ! principia ſtatuit. Dogmaticorum ſapientum elementa reijcit, anatomen profligat, temperamentorum arcanam notitiam, quæ eſt nebulonis intemperies, repudiat, ſubiectum, vt elixatores illi Theſſalici, appellare audet. In prognoſi morborum nugator eſt, in diagnoſi conturbator, at in curatione mirum, ni decretorius iugulator, qui ſimilibus ſimilia tollat, igni ſcilicet extinguat ignem, aquam aquâ exſiccet, hoc eſt νοσοῦντι νόσον addat ; ſicque ſanet vt publicus. Diætam aut Diæteticen, magnæ Sapientiæ, rectæ Medicinæ veras artes lurco intemperatiſſimus, ſicut aquam Hydrophobus extimeſcit : has glorias facit audax & importunus Pyrgopolinices, qui artium ad ſe omnium principatum perveniſſe, nullius cuiuſquam gnarus deprędicat. Arcanorum ſeſe monarcham nominat, eorum ſcilicet quæ arcana ſempiternùm eſſe, humani generis intereſt, hoc eſt nunquam proferri, & cum autore ſuo ſepeliri ac obrui. Sed vicit ineluctabilis illa malignitas, in qua ſtulti & improbi, qui plerique ſunt, quorum iniri numerus non poteſt, conſeneſcere malunt, quàm ſapere & intelligere, quod rectè vivendi & principium & fons eſt ; gregales ſuos & aſſeclas innumeros habet, qui per ſeculi licentiam, hominum ſtultitiam graſſantur impunitiùs quàm

B

quiſquam rectè facit. Hinc illa ab ore ferreo, corde plumbeo, impudentiſſima præconia, dum ex infami orcheſtra venditant ſuum laudanum, ex opio quidem parari ſolitum, ſed quomodocumque paratum puro crudoque ipſo opio longè intutius & inefficax, & ſemper venenoſum: auri folia, quæ inhiant, argenti, quæ captant, gemmas ad quas aggemunt, margaritas, quas diſſolvunt nec ſolvunt, ſtibium ἄζιον, quia deleterium, impuri opifices, hydrargyrum, penetrabile ſi quod eſt, venenum, chalcanthum quod corio & ſutrinæ relinquendum fuit: quibus tam certò, tam liquidò medentur ſpurci & ebrioſi, indocti & temerarij cocionis aſſeclæ, quàm ille certò auri faciundi artem invenit, cui etiam obolus defuit, quàm vitam pluſquam ſecularem verè cæteris adpromiſit is, quem non acerba nec præmatura mors (feſtinata debuit) anno ſuo ſexto & quadrageſimo in publico noſocomio, morborum ſcilicet depulſorem, auri poëtam oppreſſit, hoc eſt terram cælumque leuavit: ſed digniorem etiam probroſæ noxiæque vitæ exitum invenêre propè innumeri eius hæreſiotæ, quibus vt publicis peſtibus, vt regij nummi falſiſſimis ſimulatoribus iure ac lege fracta gula eſt, & extorta anima in publicis furcis. Quod iſtis equidem non imprecor, ſed, aut ipſis meliorem, aut ſeculo bonam mentem.

SED tot portenta ſectarum magnificè vicit vera illa & directa Ratio, illa cælo cognata veritas, & Hippocrateæ doctrinæ majeſtas, cum immanibus prodigiis, non vnâ acie, non vno ſeculo conflictata, compos demum atque victrix, extulit os ſacrum terris, Arabum nebulas & aëra tenebroſum diſpulit, caliginem diffudit, ſordes eluit, fæces immiſſo puriſſimo amni abvexit, limpido & ſalubri alveo, id eſt ſuo, fluxit; nec tantus Herculi labor in Augiæ ſtabulo, quàm Heroïbus dogmaticis, duce Hippocrate, Galeno antiſtite, in iſta tot malarum αἱρέσεων expurganda colluvie; nec alio immiſſo Alpheo, quàm Hippocrateâ doctrinâ, cuius vt Nili, fontes Galenus exploravit, & ſecundo illo flumine in immenſum ſalutaris ſcientiæ Oceanum evectus eſt. Ab illo autore & principe, hoc aſſertore & vindice, profecta ſacro-ſancta & auguſta Ratio, Experientiam adſcivit comitem, ſed quam ipſa regeret, non cui ſe regendam committeret. Naturæ vires ſingulas inſtrumenta habet, inexhauſtos ejus theſauros & copias in peculio; ſcientiam profitetur, imò expromit, certam, evidentem, neceſſariam, quò illa conjectando tamen & collineando pervenit, στοχαστικὴ eadem & ἐπιτευκτική. Omnium autem bonarum artium delectu & præſidio cinctus Iatroſophos, audiet ab hominum cœtibus, quod ab oraculo Lycurgus; nam ad partes affe-

ctas clarissimam facem ei pręmonstrat Anatome. Prælucet hæc, ille in ægris quibuslibet per propria signa morbos latentes pervidet, eorum causas eruit, rerum similium dissimilitudines, similitudines dissimilium, plusquam lynceo artis oculo distinguit, vires languidas ab oppressis externatisque discernit, dextram pleuritin ab hepatiti, à cardiaca syncope apoplexiam, affectum colicum à nephritico, phthisin à phthisi, imminentes eminentesve variolas à morbillis, ὑστερικὸν πνιγμὸν à vera syncope, à lethargo cataphoran disputat, à rheumatismo Veneream luem dijudicat; in queis tamen secernendis, quoties & quot, nec prorsus imperiti falluntur? Iam in toto genere morborum quàm perspicacis est solertiæ is qui vtroque videt oculo, quo vanissimi Sinæ gloriantur? despicit disceptatque sint-ne illi Endemi, an Epidemij, aut pestilentes, in ijsne θεῖόν τι delitescat, quæ aëris ambientis constitutio immutata divinitus, Hippocrateæ menti est? Morbum agnovit, ad curam accingitur, exactam, ἐπιστημονικὴν; navus & impiger opifex opiferque, ab vniversa medendi methodo, tanquam ab instructissimo armamentario paratus, cujus veluti foribus custos, pręsidet indicationum peritia, singulare Dei munus, singulari & admirabili interpreti concessum, Dogmaticorum Pharos, imò Helice aut Cynosura, quâ fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto. Ad quam oculos nunquam erexerunt ἄλογοι & inertes Empirici, nunquam attendére ἄσοφοι & ἀμέθοδοι Methodici, ne novêre quidem isti ex Paracelsi fornacula carbonarii decoctores, qui de candentibus atra facere amant, qui præ vero rectoque pravum & falsum, præ fide & industria fraudem & offucias, præ luce tenebras amant, pro Regina Iunone meri Ixiones nubem amplectuntur. At Medicus sapiens Hippocratis imitator, sua morbis remedia, propria, inquam, & idonea adhibet. Plethora distendit, venam minuit, sed & tot tantisque præterea vitiis opportunissimo remedio phlebotomiâ occurrit; eius enim ope fluxiones quaslibet sistit, interemptrices febres jugulat, pestilentium malignitatem edomat, somnum Naturæ amicum eblanditur, & invitat, dolorum acerbitatem mitigat, inflammationum vehementiam sedat, Apoplecticos orci censum, & quibus vita tenui filo pendet, in integrum veriùs, quàm vlla potestas, vllus pulvis chymicus, aut vinum è stibio emeticum, verè stygium, restituit. Anginosis, quibus propius nihil est, quàm vt offocentur, spiritum reddit, hydropa iamjam imminentem, & vel ex frigida causa sese insinuantem, Reginâ Ratione fretus, discutit: podagram chiragramque, ignavi luxus fœturam, omni Chymicorum oleo potentiùs dispellit, hæmorrhoïdium avertit, dysentericum reprimit, cunctantes variolas, Maioribus ignotas, evocat, morbillorum cacoëthiam emendat, ab iis pul-

monem innoxium vindicat, intemperiem omnem procurat, obstructiones effercit. Toti corpori εὔροιαν, εὐλυσίαν, & habilem vigorem conciliat, innumeris commodis vitam beat. Verissimum Nepenthes, & salutarem Panaceam, non habet sibi, sed hominum generi, cui seipsum debet, impertit. Est enim in recta veraque Methodo alexiterium summum, & omnium βοηθημάτων ἡγεμονικόν. At nulla insit πληθωρικὴ συνδρομή, quid noster artifex? in se vt sapiente dignum est, spem omnem reponet sui, vrgentes indicationes affectabitur, agendi legem ex iis captabit: venosa cacochymia si erit, sive in venis diffusa humorum pravitas ac nequitia, si affectus ab inclusa putredine ortum causamque habebunt, seu febriles illi, seu rheumatici aut catarrhoïci, sive vlcera inerunt, aut minabuntur, si ad vivum vulnera persederint, fidenter & intrepidè venam pertundet, & pro modo virium aget cum ægro, quoad eius est, optimè: sin impuri humoris malè amica congeries extra venas stabuletur, putà in cavis hepatis, in pancrea aut mesenterio, quam mercenariæ operæ nutriculam meritò dixeris, in cerebro, in artubus, in habitu corporis vniverso: tum verò in aliud ingens præsidium immigrat, Catharsin dico, eamque sincerè administrat: Ea est vitiosi & qualitate noxii humoris detractio, quæ id peccati emendat: quod superest, eadem perficit, excernenda deradit, obstructa reserat, imbecilla roborat, si εὐκαίρως, id quod artis & peritiæ est, exhibeatur: eius rei καιρὸς sive εὐκαιρία si absit, non remedium iste, sed venenum porrexerit, iugulum petierit vitæ extortor, sicarius, grassator: at iisdem Medicus si obtigisset, revaluerant, revixerant. Mirificam occasionis vim & necessitatem! quæ vt in rebus agendis caput est, sic medici auxilii anima est: eius momentum non anteceperit, non præterierit is, cui des nominis huius honorem: qui vt voti compos fiat, compotem ægrum faciat, artes suas omnes advocat, omnes copias contrahit: ex immensa sylva medica seligit expromitque, quibus vis morbi cedere cogatur, sed pauca de multis, certa ex innumeris, eximia etiam de selectis: hoc quisquis sciet poteritque, Medicus esto: Tanti autoritatem nominis alius ne attingito. Quò enim densissima seges moventium quidem, at nihil promoventium, iritantium sed irritâ vi, imò iratâ Hygeiâ, medicamentorum? Eane quæ vulgo purgantia dicuntur, promiscam, passim & nullo delectu solers & sapiens noster vsurpabit? Odi, inquiet, profanum vulgus, & arceo, paucorum erit hominum, paucorum remediorum, de melioribus optima, de lectis probatissima ad manum habebit strenuus & expeditus bellator, qui non vario & multiplici telorum genere, sed apto & certo, fugam hosti, suis opem & victoriam, decus sibi & adoream paret. Ita hic Naturæ propugnator, qui

purgantium ingenium, item vt purgandorum κρᾶσιν & ἕξιν penitus noverit, partium incendium reſtinguet primùm, deinde cineres everret, ac reliquias omnes profligabit: nec illi idcirco ad vltimos Æthiopas navigandum erit, non adeundi Colchi, non petenda naufragiis, quæ Pontus aut Iberia mittit venenorum ferax, nec quæ India fert triſtes ſuccos, nec ita ſummi opificis benignitate diffidet, aut ſolum natale damnabit, vllis id vt commodis, nedum neceſſariis adiumentis deſtitutum putet. Domo igitur petet, vnde domi curet percuretque. De peregrinis & exoticis, item vt de popularibus ſuis, libentiùs in vſum revocabit εὐπόριστα; operoſa ſumptuoſave faſtui & faſtidio, eique demum generi relinquet, cui ſalubritas ipſa putet, ni aurum contra cara ſit. At hic quem deſignamus, quem ſe eſſe optimus quiſque vovet ac ſtudet, exquiret, eligetque de omnibus id quod æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè, quod longa ętas, quod recta ratio, quod oculata experientia approbavit, quæ quotidianus vſus admittit, nec redarguit. In hunc cenſum veniunt aloë εὐστόμαχος, caſſia prolutrix, manna, rheum, quod nos efficax, barbarum licèt barbari vocent, roſarum pallidarum ſuccus, σύνεσις ὀπὸς florum perſicæ, de rhamno ſolutivus, ſenaque, quam rectiùs ſanam, & purgantium veluti Reginam meritò dixeris, cuius eximias vires doteſque qui neſcit, is planè in Medicina hoſpes eſt, & ignorat profectò μέγ' ὄνειαρ: qui bene penituſque novit, Panaces πολύχρηστον, imò πάγχρηστον, appellare non dubitat, omnis pravi ſucci eductricem, cui aut cedant, aut diſſiliant, omnes ἀργυροκόπων Paracelſitarum fornaculæ & μαγγανεύματα: neque enim illa deprehenſa eſt, vel inteſtina corradere, vel ſanguinem proritare, neque viſcera vllo modo accendere, blandè quippe, lentè tutóque purgat, nullâ qualitate infenſa eſt, nemini nocuit vnquam, neque nocitura eſt, quam modò tempeſtivè Dogmaticus noſter exhibuerit: pueris ac ſenibus vtilis; neque prægnantibus adverſa. Copioſâ illâ paucitate ſatis beatus vir Medicus, morborum omnium ἀλεξίκακος & averruncus exiſtet, ſupervacuis iſtis facilè carebit, operoſas Arabum paraturas tam conſtanter amputabit, quàm invtiles ſarcinas bonus imperator, eaſque impedimentis adſcribet, officinarum pompam & inanem faſtum proculcabit, ſcammonii facultatem non obtrectabit quidem, ſed temperaturæ difficultatem facilioribus neque eo tamen inefficacioribus, poſtferet, ab vſu potiùs quàm vt in abuſum vertat, repudiabit. Non turbith illo viſcerum turbatore, damnoſos & noxios ἱδρῶτας ciebit: exceſſo, inquiet, amarulenta colocynthis, exulet veratrum, & melioribus locum det, ſalubrioribus cedant elaterium, ricinus, ſambucus, euphorbium, laureola, ſuccus ireos, cæteraque manifeſtæ malignitatis venena, quæ quia prodeſſe

poffunt, fed & obeffe fæpius & graviùs folent, ab Iatreo noftro arceantur : à quibus fi cruentas manus ἀλογία empirica non abftinet, at ab iis ægri fe, & à buftuariis empiricis abftineant, moniti meliora fequantur: damnent feriò, fi ferò, humanæ vitæ aleatores illos, quibus ęger pro tabula, pro fritillo eft, pharmaca ifta pro talis atque teffera. Iactus vnus profper cecidit, fenio, venus femel, at centies canis, ipfa mors creduli ac infelicis ęgri, cuius ifti corio & capite ludunt. At iuftus ac legitimus artifex, antimonium, imperitè & fine Methodo medentium, virus ac δηλητήριον arbitrabitur, nec ei parando manus admovebit, quod paratum nunquam eft, quod tam valde venenum eft, vt maleficium exuat nunquam, ad ęrarios fabros & liquanda metalla amandabit, ab hominis corpore, ne id multò vehementiùs diffolvat, amovebit : à quo fi qui fortè evasêre (millefimus is iactus cafufve eft) ætati & naturæ id fuæ accepto ferant, non ftibio. Nec tanti erat femel evafiffe, vt domefticam deinceps & affiduam noxam alerent vifceribus impreffam intimis, ipfique in primis οἰκονόμῳ ventriculo, cui peftis illa bellum nefarium indixit, cuius malignitatem fi norunt Chymici, neque deteftantur, inteftabiles ipfi execrandique funt : fi ignorant, cur id, veluti iugulo ficam, adigunt? Amabiles verò fapientes Dogmatici, qui veneni eius indomitam malitiam, quia norunt, exhorrefcunt. Quid illa, quæ vulgus Arabum, & plebs officinarum, cardiaca nominat? eorum effe retur, qui cor ipfi non habent, os de cervino corde, margaritas, bezoar βίου ζωῆς, pretiofa detrimenta vitæ huius miferæ, fragmenta ramentavę ex gemmis, quæ vitalem vim frangunt & extenuant, lazulum lapidem, alkermes, hyacinthum, & fexcentas id genus pecuniarias machinas, ficut ille veneficam Medeam, arcet tactu & acceffu procul, ad fuos Arabas, vnde noxium pedem attulerunt, imò vltra humanitatis fines, generosè & Chriftianè ablegat, quoflibet affectus humanæ naturæ hoftes, fanâ ratione fretus, experientiâ certâ, probatifque remediis potens aggreditur, Apoplexiam, quæ verè ictus eft fanguinis etiam pituitofi, lethargum, aut alios affectus foporofos, nullo evincit emetico, vegetabili aut metallico, fed venæ fectione, cruentis cucurbitulis, enematis acrioribus, imò & validiore catharfi : Epilepfiam nullo amuleto vel phyfico, vel magico, fed ipfius caufæ quæ diverfis è locis ad cerebrum crepit, depulfione, per inediam, per vomitum, per aloën, per ἀσιτίαν, per aromatum & omnium acrium odium. Catarrhum difpellit, fiftit, avertit diætâ parciffimâ, non granulis perniciosâ malignitate fuffectis, non laudano mortifero, non opio κακοποιῷ, non ἀφίλῳ philonio, aut pilulis è cynogloffo : caufum fectis venis & arteriis, & frigidæ potu, quartanam perdomat folâ abftinentiâ & tempeftivo

foliorum Orientalium vſu. Chymica an chimærica illa arcana, & ſpecifica ? grandia verba ſcilicet, cacochymicis contortoribus derelinquit, quibus ęternùm angantur, quouſque reſipiſcant. Aſciten, ſenâ, rheo, hydragogis mitioribus, paracenteſi, & crurum ſcarificatu, non ſale chymico deurente, non albo pulvere, miſerum medicaſtrum, ſed miſeriorem ægrum fallente. Peſtilentem febrem, cui nova peſtis eſt ipſa Theriaca, aut Mithridatium, confectio alkermes & de hyacintho, non ementitis cardiacis, non diambrâ, non perlarum percarè perditricum ſpiritu mortuo ac evanido, non triviali cornu illo vnicornis, quod fabula eſt, & fabulæ qui vtuntur: non illâ Orbivitâni orbi vitandi mendaciſſimi circulatoris audaciâ, quæ tunicatum popellum offuciarum avidum plus ſatis, nimiâ profectò ſacræ Themidis indulgentiâ, quotidie ludos facit, ſed refrigerantibus, acidis, (quæ vera cardiaca ſunt) purgantibus averruncat: variolas tenerioris ætatis nativam Aten, ſanguinis miſſione ſępius repetitâ, etiam in lactentibus, mali medici, & granatorum ſucco, ſolâque ſenâ feliciter emendat, amandat, ſeque fidum & ſapientem Naturæ miniſtrum in omnem partem exhibet; Phlebotomiæ & catharſi exquiſitam diętam moderatricem apponit, huic copias auxiliares adiungit balnea tempeſtiva, etiam αὐτοφυῶν metallicarum aquarum, lactis, cuiuſmodi morbi ingenium, & ægri vires apposcunt, vſum; loci cęlive mutatione, amœnitate ruſticandi, animi oblectatione, & blandâ jucunditate ſenſuum, iiſque non ἀτάκτως, nec ἀμεθόδως, hominem ſibi reſtituit, ac veluti reficit. Atque vt regit ipſe, ſic regitur tempore, loco, arte, methodo, ipſiſque adeo indicationibus.

Igitur Hippocratea Medendi Methodus omnium certiſſima, tutiſſima, præſtantiſſima.

Proponebat Lut. IOANNES-BAPTISTA MOREAV, Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XLVIII.

PARISIIS,

Apud NICOLAVM BOISSET, Typographum & Bibliopolam, Plateâ Malbertinâ, ad Inſigne D. Stephani.

M. DC. XLVIII.

cette these est la 978e du tome VI du recueil in folio des theses de la faculté. ——